

bilem sibi atque inauditum scientiæ cumulum confecit, multiplices uariasque philosophorum sectas non ignorauit, infinitos pene gentium omnium religionis errores tenuit, orbis terrarum historiam serie sua dispositam solus cognouit et cæteris tradidit. Nam quom non esset nescius gestarum rerum historiam titubare, sanctissime Pater, nisi distincta temporibus pateat : quippe quom natura temporis faciat ut quæ in tempore fuerunt nisi quando fuerunt scias, nec fuisse quidem propter confusionem uideantur, eo ingenio, studio, industria huic incubuit rei, ut omnium scriptorum peritiam in unum congestam facile superauerit, distinctiusque cuncta ipsis suis, ut diximus, cognouerit auctoribus. Conferendo enim inter se singulos, ueritatem, quæ ab omnibus simul emergebat nec ab ullo exprimebatur, consecutus est. Quæ omnia ab aliis quæ scripsit et ab hoc opere perspicere licet. Quod ille ideo suscepit, quoniam quom apud gentium præclaros philosophia uiros nobilissimus esset ac priscam paternamque deorum religionem catholicæ ueritatis amore contempserit, partim accusantibus suum propositum respondere, partim nostra pro uiribus suis uoluit confirmare. Itaque in duas uniuersum partis negotium partitus est, quarum primam quæ nunc traducta nobis est, qua illis respondet qui eum quod christianis inhæserat, accusabant, Præparationem Euangelicam, alteram Veritatis catholicæ Doctrinam appellauit. Illud sane prætermittendum non est, ne quis, quoniam nonnulla in hoc libro, non absque tuæ Sanctitatis auctoritate concidimus, quasi traductoris transgressos officium nos accuset, ante primi concilii tempora librum hunc ab Eusebio editum fuisse. Constat enim ipsum ariana hæresi, ante sententiam concilii, laborasse; sanctorum deinde patrum auctoritatem libenter secutum sanctissime atque pie in orthodoxia uixisse. Fertur enim apud Græcos ab eo, iussu patrum sacrosanctæ illius synodi, symbolum scriptum fuisse, quod ita composuit ut ad deiiciendam absque controuersia perniciosam hæreticorum opinionem Filium Dei genitum, non factum, consubstantialemque Patri conscripserit ac patribus tradiderit, nec inuentioni suæ quicquam addidisse aut inde aliquid detraxisse aut mutasse patres dicuntur nisi solum illud : *Deum uerum de*

